

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Caput CCXVII. Christus Ante Suam Ascensionem Certis Mandatis Apostolos
Instruit.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617

mationem cum ipso in cœlesti gloria futuros, ut diversus præsentia modus hac ratione insinuetur, in hac vita nobiscum est in tribulatione Ps. 91. v. 15. regit, docet, sustentat, protegit nos: in vita æterna nos cum ipso sumus in cœlesti gloria, ubi videmus eum sicut est 1. Joh. 3. v. 1. Eadem ratione Paulus dicit 1. Cor. 15. v. 24. quod Christus in extremo die traditurus sit regnum Dei Patri, non quod tunc desinet regnare, est enim Rex æternus, & regni ejus non est finis. Luc. 1. v. 34. sed quia modus administrandi hoc regnum per verbum & Sacramenta desinet, ac fidei succedet visio, spei fruitio, & caritatis erit perfecta consummatio. Hac igitur promissione de Christi præsentia & nos freti laborem nostrum in Domino non fore inanem vel irritum statuamus 1. Cor. 15. v. 57. Novatianus Romanae Ecclesiae Presbyter lib. de Trinit. cap. 12. in oper. Tertull. p. 630. divinitatem Christi ex hoc loco probat. *Quomodo*

Esaias (inquit) Ecce virgo concipiet, & pariet Filium: & vocabitis nomen ejus Emanuel; quod interpretatum est, Nobiscum Deus: sic Christus ipse dicit: Ecce ego vobiscum sum usq; ad consummationem seculi, est ergo nobiscum DEUS, imo multò magis etiam in nobis est. Nobiscum est Christus, est ergo, cujus nomen est, nobiscum DEUS, quia & nobiscum est. Aut nunquid non est nobiscum? quomodo ergo dicit, se nobiscum esse? est ergo nobiscum. Sed quoniam nobiscum est, Emmanuel, id est, nobiscum DEUS dictus est. DEUS ergo, quia nobiscum est, nobiscum DEUS dictus est. Hæc ille. Nobis convenit seriis precibus Christum rogare, ut memor hujus suæ promissionis sit nobiscum in via, nosque sibi conjungat in cœlesti patria.

*Vera fides sanat, mundat. Baptismatis unda,
Ergo, Christe, tuo munere salvus ero.*

CAPUT CCXVII.

CHRISTUS ANTE SUAM ASCENSIONEM CERTIS
MANDATIS APOSTOLOS INSTRUIT.

LUC. 24. v. 49. ACTOR. 1. v. 2.

RATIO ORDINIS.

INter solennem & publicam illam manifestationem in monte quodam Galilææ coram plus quam quingentis fratribus factam & inter novissimam Christi manifestationem immediatè ante ascensionem factam, quod interferi possit, nihil quicquam apud Evangelistas occurrit. Ex Paulo autem colligitur, quod manifestatio seorsum facta Jacobo sit inferenda, is enim 1. Cor. 15. v. 5. 6. 7. manifestationes Christi post resurrectionem hoc ordine commemorat, quod visus sit 1. *Cepha* sive Petro. 2. *duodecim Apostolis.* 3. *plus quam quingentis fratribus simul,* quæ est apparitio proximè descripta. 4. *Jacobo.* 5. *Apostolis omnibus,* quæ est apparitio facta ipso ascensionis die. Sed quia manifestationem illam Jacobo factam Evangelistæ non describunt, ideò ad mandata Apostolis in novissima ante ascensionem suam manifestatione à Christo data rectè progredimur. Colligitur autem ex Evangelistarum descriptione, quod Christus primùm Hierosolymis duabus vicibus discipulis suis apparuerit, deinde iidem juxta mandatum suum in Galilæam profectis, itidem duabus vicibus ibi apparuit, ubi verisimile est, diutius ipsum fuisse cum eis conversatum,

ac de regno Dei collocutum Act. 1. v. 22. tandem verò ut ex descriptione Evangelistarum colligitur, Apostolis è Galilæa Hierosolymam redire jussis denuò apparuit, eosq; in Bethaniam eduxit, ubi ex monte oliveti coram oculis ipsorum elevatus in cœlum confedit ad dextram Dei. Quod si omnes Christi apparitiones post resurrectionem colligere esset animus, superioribus atxenda etiam esset ea, quæ facta est Apostolo Paulo, cujus ipse meminit 1. Cor. 15. v. 8. quamque latè describit Lucas Act. cap. 9. v. 22. & 26. sed quia ea secundo post ascensionem Christi anno demùm contigit, ideò meritò hoc loco præmittitur. Cæterum quod mandata illa, quæ in hac pericope describuntur, Historiæ ascensionis sint præmittenda patet ex eo, quod ex descriptione Luca colligitur, Christum ea Apostolis suis dedisse, cum adhuc in urbe essent, ac postea demum in montem oliveti eos eduxisse, ex quo in cœlum ascendit: Quare verò certis mandatis Apostolos suos Christus prius instruere voluerit, antequam per ascensionem visibilem & familiarem suam præsentiam illis subtraheret, ex sequente Evangelii manifestum erit.

MANDATA A CHRISTO ANTE ASCENSIONEM
APOSTOLIS DATA.

LUC. 24.

49. Καὶ (ἔπειτα ὁ Ἰησοῦς μαθητῶν,) ἰδὲ ἐγὼ ἀποπέμνω πρὸς ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει Ἱερουσαλὴμ ἕως ἂν ἐκδοθῆτε δυνάμει ἐξ ὑψῆος.

49. Et (dixit Jesus discipulis) Ecce ego mitto promissum Patris mei super vos. Vos autem sedere in civitate Hierusalem, quoad usq; induamini virtute ex alto.

ACT. 1.

ACTOR. I.

2. (Ο Ιησὺς) ἐντεῖλάντων τοῖς Ἀποστόλοις διὰ πνεύματι
ἀγίας ἕως ἐξελέξατο ἀνελεῖσθαι.
3. Οἷς καὶ παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μὲν τὸ παθεῖν αὐτὸ
ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις διημέρων τεσσαράκοντα
ὁπλιάντων αὐταῖς καὶ λέγων πρὸς αὐτοὺς βασιλείας
ἔχει.
4. Καὶ συναλίσσων αὐτοὺς παρήγγειλεν αὐτοῖς διὰ Ἱεροσο-
λύμων μὴ χωρεῖν ἐκεῖ, ἀλλὰ περιμένειν τὸ ἐπιγγελ-
θῆναι τὸ πατρὸς, ὃν ἠκούσατε με.
5. Οἷα Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, ὑμεῖς ἢ βαπτισθή-
σεσθε ἐν πνεύματι ἀγίῳ καὶ μὲν πολλὰς τῶν ἡμέ-
ρας.
6. Οἱ μὲν ἐν συνεληθόντες ἐπηρώτων αὐτὸν, λέγοντες, κύριε,
εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν
τῆς Ἰσραήλ;
7. Εἶπε ἢ πρὸς αὐτοὺς, ἕως ἡμῶν ἐστὶ γνώσκειν χρόνος καὶ καιρὸς,
καὶ ὁ πατὴρ ἔχει ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ.
8. Ἀλλὰ λήψετε δυνάμειν ἐπιληθόντες τὸ ἀγίας πνεύμα-
τι καὶ ὅτι ὑμεῖς, καὶ ἐσπετέ μοι μαρτυρῆσαι ἐν τῇ Ἱεροσο-
λύμῃ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσχά-
της γῆς.
2. (JESUS) postquam impartitus in hoc ipsum Spiritum
sanctum mandata dedisset, quos delegerat, Apostolis,
sursum assumtus est.
3. Quibus etiam seipsum exhibuerat viventem, postea-
quam supplicio fuisset affectus, idq; compluri-
bus argumentis, dum per dies quadraginta
conspicitur ab illis ac loquitur eis de regno
DEI.
4. Et congregans illos in idem loci, præcepit eis, ne
discederent Hierosolymis, sed ut expectarent
promissum Patris, de quo, inquit, audistis ex
me.
5. Quoniam Johannes baptizavit quidem aquâ, vos au-
tem baptizabimini Spiritu S. post dies hosce non
multos.
6. Illi igitur, ubi convenissent, percontabantur illum, di-
centes: Domine, num in tempore hoc restituis
regnum Israelis?
7. Dixit autem ad illos, Non est vestrum nosse tempora & ar-
ticulos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit
potestate.
8. Sed accipietis virtutem, posteaquam Spiritus sanctus
advenit super vos, & eritis mihi testes non so-
lum Hierosolymis, verum etiam in universa
Judea, Samariâq; deniq; usq; ad extrema
terre.

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM
HUIUS HISTORIÆ.

Augustinus hanc novissimam Christi ante ascensionem in cœlos apparitionem in duas apparitiones dividit, colligit enim decem manifestationes Christi ex Historia Evangelica, quarum prima facta sit Mariæ Magdalena, secunda mulieribus à sepulchro reversis, tertia Petro, quarta duobus euntibus in Emaus, quinta discipulis omnibus Thoma absente, sexta eisdem præsentibus Thoma, septima discipulis ad mare Tiberiadis, octava undecim Apostolis in monte Galilææ, nona eisdem in Jerusalem, quando præcepit eis, ne ante Spiritus sancti adventum ex urbe discederent, decima eisdem in monte oliveti, ubi viderunt eum euntem in cœlum. Sed cum Evangelista Lucas verbis illis, quibus Christus præcipit discipu-

lis, ne Hierosolymis discederent, antequam virtute ex alto induantur, immediatè subjungat: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam &c.* atque in super Actor. i. vers. 4. testetur, ipso ascensionis die verba illa ad Apostolos dicta, quibus promissum Spiritus sancti Hierosolymis expectare jubentur, ideo rectius pro una eademque manifestatione numerantur. Ac verbum *ἐξηγάγε* manifestè ostendit, Dominum post apparitionem in cœnaculo Hierosolymitano non disparuisse, ut de novo in monte Galilææ sese iterum ipsis ostenderet, sed visibiliter cum ipsis ambulando Ducis instar ex urbe in montem eos eduxisse, eosdemque præcessisse, ut in urbe, in itinere & in monte sit una continuata manifestatio.

HARMONIA HUIUS HISTORIÆ.

Ὁ μὲν ἐν κύρῳ ἐντεῖλάντων τοῖς Ἀποστόλοις
διὰ πνεύματι ἀγίῳ ἕως ἐξελέξατο, ἀνελεῖσθαι καὶ
παρέστησεν ἑαυτὸν ζῶντα μὲν τὸ παθεῖν αὐτὸν ἐν πολλοῖς

Itaq; Dominus quidem postquam per Spiritum Sanctum mandata dedisset, quos delegerat Apostolis, sursum assumtus est: quibus etiam seipsum exhibuerat viven-

τεκμη-

τεκμηρίοις δι' ἡμερῶν τεσσαράκοντα ὀπτανόμενοι αὐτοῖς
 καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. καὶ συναλιζόμενοι
 παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ Ἱεροσολύμων μὴ χωρίζεσθαι,
 ἀλλὰ περιμένειν τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς, ἣν
 εἶπεν ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρὸς
 ἐφ' ὑμᾶς, ἵνα κάθησθε ἐν πόλει Ἱερουσαλὴμ ἕως ἃς ἐνδύσῃ
 ἡ πόλις Ἱερουσαλὴμ ἐξ ὑμῶν, ἵνα ἴδωσιν τὴν
 ἐπιθυμίαν τοῦ θεοῦ, ἡμεῖς ἢ βαπτισθῆσθε ἐν
 πνεύματι ἁγίῳ καὶ πολλὰς τούτων ἡμέρας. οἱ δὲ
 ἐν συναλιζόντες ἐπιρῶτων αὐτῶν, λέγοντες, κύριε, εἴ τι
 χρόνον ἔτι ἀποκαθίσταται τῆς βασιλείας τοῦ Ἰσραὴλ; εἶπε
 ὁ κύριος αὐτοῖς, ἔχ' ὑμῶν ἀγρῶναι χρόνος ἢ κενός, ὅς
 ὁ πατὴρ ἐθεῖ ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. ἀλλὰ λήψετε δώματιν
 ἐπιπέτοι. Ἔρχεται πνεῦμα τοῦ θεοῦ ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἐστέ
 μοι μάρτυρες ἐν τῇ Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ
 Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσθλάτης τῆς γῆς.

tem, posteaquam supplicio fuisset affectus, idq; compluri-
 bus argumentis, dum per dies quadraginta conficitur ab
 illis & loquitur eis de regno Dei. Et congregans illos in
 eodem loci, praecepit eis, ne discederent Hierosolymis, sed
 ut expectarent promissum Patris, & (dixit) Ecce ego mit-
 to promissum Patris mei super vos, de quo audistis ex me.
 Vos autem sedete in civitate Hierusalem, quoadusq; in-
 duamini virtute ex alto, quoniam Johannes baptiza-
 vit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu San-
 cto post dies hosce non multos. Illi igitur, ubi con-
 venissent, percontabantur illum, dicentes: Domine,
 num in tempore hoc restituis regnum Israel? Dixit
 autem ad illos, Non est vestrum nosse tempora & arti-
 culos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit pote-
 state. Sed accipietis virtutem, postquam Spiritus San-
 ctus advenerit super vos, & eritis mihi testes non solum
 Hierosolymis, verum etiam in universa Judaea, Samari-
 aq; deniq; usq; ad extrema terra.

Exegesis hujus Historia.

2. Reg. 2. v. 8. de Elia commemoratur, quod ante
 suam in caelos elevationem Elifaeo discipulo
 liberam fecerit optionem postulandi quodcumq;
 velit, antequam ab ipso tolleretur. Elifaeus igitur pe-
 tit, ut Spiritus Eliae duplex in ipso fieret, hoc est, ut
 majoribus Spiritus sancti donis ad docendum in-
 strueretur, id quod etiam impetravit. De Christo
 per Eliam & omnes V. T. Prophetas praefigurato Pro-
 phetarum omnium Domino simile quid in hac pe-
 ricope commemoratur, quod discipulis suis jam-
 jam in caelum ascensurus promiserit Spiritum san-
 ctum, per quem donis ad Evangelii praedicationem
 & miraculorum operationem necessariis instrue-
 rentur. Discrimen tamen maximum ut est in utri-
 usq; ascensione, ita quoq; in illa Spiritus promissio-
 ne. Quale discrimen sit inter Eliae & Christi in cae-
 los ascensionem alibi expositum fuit, hoc loco dis-
 crimen in Spir. promissione expendemus: 1. Chri-
 stus propria virtute Spiritum sanctum misit, virtute
 sc. ea quae secundum divinam Naturam essentialiter,
 secundum humanam personaliter propter unio-
 nem hypostaticam & exaltationem ad Dei dextram
 ipsi competit: Elias per preces hoc donum Elifaeo
 impetravit. 2. Christus pluribus discipulis, Elias
 soli Elifaeo hoc donum contulit. 3. Elifaeus duplicem
 Eliae Spiritum obtinuit, sed Christo sine mensura.
 Spiritus sanctus fuit datus Joan. 3. v. 34. ac ipse pra-
 confortibus oleo laetitiae fuit unctus Psalm. 45. v. 8.
 4. Elias Elifaeo duplicem Spiritum petenti annuit:
 Christus hoc donum discipulis sponte pollicetur.
 5. Elias promissioni suae certam conditionem an-
 nectit, Rem difficilem, inquit, postulasti, attamen
 si videris me quando tollar a te, erit tibi, quod pe-
 titisti, si autem non videris, non erit. Christus
 absolute ac simpliciter hoc donum discipulis pro-
 mittit, illudque Hierosolymis expectari praecipit.
 6. Elias fatetur, Elifaeum rem difficilem petisse:
 Christo ut nihil impossibile, ita quoque nihil est
 difficile. De hac Spiritus promissione a Christo
 ante ascensionem Apostolis data agitur in praesen-
 te pericope, cujus partes sunt duae. 1. Christi cum
 Apostolis per 40. dies conversatio. 2. Christi cum
 Apostolis in die ascensionis collocutio. Ante-

quam enim dicitur Historiam ascensionis Domi-
 nicam Lucas exponeret, praemittit descriptionem
 eorum, quae Christus intra quadraginta illos dies,
 qui inter resurrectionem & ascensionem interce-
 dunt, cum discipulis suis egit & locutus est,
 postea subjungit colloquium discipulorum cum
 CHRISTO ipso ascensionis die Hierosolymis ha-
 bitum, ex quo duae hujus pericopes nascuntur
 partes.

1. Quod Christus dicitur ἐν τελευτῇ τοῖς
 Ἀποστόλοις, praecipisse Apostolis ante suam in cae-
 los ἀνάληψιν, id quidam referunt ad tempus inter
 resurrectionem & ascensionem intermedium.
 Constat enim ex Evangelica Historia, Christum in
 suis apparitionibus spacio quadraginta illorum die-
 rum complura ἐν τελευτῇ Apostolis dedisse, utpotē
 de praedicatione poenitentiae & remissionis pecca-
 torum in omnes gentes Lucae 24. v. 47. de testifi-
 canda resurrectione vers. 48. de condonandis ac
 retinendis peccatis Johan. 20. v. 23. de docendis
 omnibus gentibus & baptizandis illis in nomine
 Patris, Filii & Spiritus sancti Matth. 28. v. 19. de
 proponendis illis solum, quae prius a Christo
 praecipita vers. 20. de praedicando Evangelio per
 totum orbem Marc. 16. v. 15. Futuri erant Apo-
 stoli Christi legati 2. Corinth. 5. v. 20. certis igitur
 mandatis prius fuerunt instruendi: futuri erant to-
 tius orbis Doctores, certis igitur doctrinis prius
 fuerunt informandi: futuri erant resurrectio-
 nis Dominicae testes, prius igitur ipsimet in fide
 resurrectionis fuerunt confirmandi. Sed quia
 Lucas illud ἐν τελευτῇ notanter refert ad di-
 em, in qua CHRISTUS ἀνελήθη, ideo re-
 ctius in specie accipitur de mandato illo, quod
 ipso ascensionis die discipulis dedit, quod
 scilicet non debeant Hierosolymis discedere, sed ex-
 pectare promissum Patris, hoc est, Spiritus
 sancti missionem: postea in genere referri pot-
 est ad omnia, quae non solum intra quadragin-
 ta dies post resurrectionem, sed etiam ante
 passionem, adeoque toto ministerii sui tempore
 Christus discipulis praecipit, quo sensu accipitur
 Matth.

Matth. 28. v. 20. *Docete eos servare omnia quaecunque vobis praecepi vobis*, id est, quaecunque in schola mea didicistis. Quemadmodum enim Christus sic fecit, καθὼς ἐνετείλατο, sicut praecepit ei Pater, Joh. 14. v. 31. hoc est, non suam sed caelestis Patris doctrinam proposuit v. 24. ita quoque iussit Apostolos facere, sicut ipse praecepit eis, hoc est non suam, sed quam à Christo audierant ac didicerant, mundo proponere doctrinam. Vos amici mei estis, inquit Joh. 15. v. 14. *si feceritis omnia quae vobis dico, maneritis in sermone meo, et discipuli mei eritis.* 1. Johan. 3. v. 23. haec ἐντάλματα revocantur ad duo summa capita, videlicet ad fidem in Christum & dilectionem mutuam, sicut & Christus dicit Johann. 15. v. 17. ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, haec praeceptio vobis, ut diligatis vos invicem; quibus mandatis opponantur ἐντάλματα ἀνθρώπων, Matth. 15. v. 9. Marc. 7. v. 7. Coloss. 2. v. 22. Sic ergo non de mandatis legalibus Moisaicis, multo minus de mandatis hominum, sed de tota Christi doctrina intelligendum, quod Christus hoc loco dicitur praecepisse Apostolis & quod Apostoli jubentur docere servanda ea, quae Christus ipsis praecepit. Porro dicitur Christus praecepisse discipulis διὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου per Spiritum sanctum, hoc est, in instinctu Spiritus sancti, in quo & per quem Christus in ministerio suo omnia egit & locutus est, in cuius rei signum Spiritus sanctus in Baptismo descendit super ipsum in specie columbae & mansit super eum. Matth. 17. v. 16. Marc. 1. v. 10. Luc. 3. v. 22. ut esset publicum testimonium, hunc Prophetam non oleo corporali, sed Spiritu sancto unctum Psal. 45. v. 8. ac divinam auctoritatem confirmatum omnibus audiendum esse, ideò in schola Nazarena vocationem suam confirmat ex Esai. 61. v. 1. Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me. Luc. 4. vers. 18. & de doctrina sua dicit Joh. 6. vers. 63. Verba quae loquor vobis, sunt Spiritus & vita. Sic Agabus Propheta. Act. 11. v. 28. per Spiritum, hoc est, in instinctu & revelatione Spiritus sancti praedicat famem in toto orbe futuram, 1. Cor. 2. v. 10. nobis revelavit Deus per Spiritum suum, id est, per Prophetas. Christum & Apostolos, qui locuti sunt φηρόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου 2. Petr. 1. v. 21. Syrus habet ἡνδρῶν ἐν πνεύματι ἁγίῳ, sicut Prophetae in Spiritu, id est, impulsu & revelatione Spiritus vaticinati dicuntur. Marc. 12. v. 36 Ephes. 3. v. 5. Divino igitur testimonio ministerium Christi hic confirmatur, quod in Spiritu ac per Spiritum omnia egerit & locutus sit, proinde verbis ejus, quae sunt Spiritus & vita, Joh. 6. v. 63, tuto inhaerere possumus. Theophyl. h. l. διὰ πνεύματος ἁγίου ἐντελλόμενος, ταῦτα πνευματικὰ πρὸς αὐτοὺς εἰπὼν ῥήματα, ἃ δὲν ἀνθρώπων; ἢ τὸ, ὅτι ἐν πνεύματι αὐτοῖς ἐνετέλλετο, καθὼς καὶ αὐτὸς ὁ θεὸς ἐν πνεύματι θεοῦ τῶν δαιμόνων ἐκβάλλει λέγει. ἢ διὰ πνεύματος ἁγίου φησὶν ἐντελλόμενος, ἅτις οἱ ἄγγελοι ἐδεδίχθησαν πνεύματος ἁγίου, ἀλλ' οἱ ἐνδοξαὶ ἄνθρωποι διὰ παράσταται, ἐκείνη καὶ τὸ πνεῦμα ὡς οὐροφύλαξ ἐνεργεῖ καὶ πάροισι. Dicitur Christus in Spiritu praecepisse Apostolis, quia non humanas sed divinas & spirituales doctrinas eis proposuit: utq; in Spiritu Dei Demonia eiecisse dicitur, ita in eodem etiam Spiritu Apostolis praecepit, non quia Spiritus fuit indignus, quippe quem etiam secundum humanam Naturam sine mensura acceperat, Joh. 3. vers. 34. sed quia ubicunque operatur Filius, ibi propter essentiae unitatem

adeo & operatur etiam Spiritus sanctus. Magnum ergo discrimen est, quando Christus per Spiritum locutus & operatus dicitur, & quando Propheta vel Apostoli per Spiritum locuti & operati dicuntur; Christus enim secundum divinam Naturam est unius individuae essentiae, ideòq; aequalis potentiae cum Spiritu sancto; secundum humanam Naturam tota plenitudine Spiritus sancti unctus est, quorum neutrum Prophetis & Apostolis competit. Atq; hic est sensus Phraeos διὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου, quando conjungitur cum verbo ἐντελλόμενος, quidam tamen Graeci Codd. ut & Syrus Interpres verba sic ordinant, ut illud, διὰ τοῦ πνεύματος ἁγίου, referatur ad τὸ ἐξελέξατο, ut per Spiritum S. Apostolorum electio facta asseratur, quia ministerium, ad quod vocati sunt Apostoli, est ministerium Spiritus 2. Cor. 3. v. 6. Sed prior constructio concinnior est. Porro Apostoli, quibus Christus praecepit, dicuntur electi, scilicet ex reliquorum discipulorum numero ad Apostolatam, sicut haec electio describitur Matth. 10. 1. Marc. 3. vers. 13. Luc. 6. vers. 13. cap. 9. v. 1. ideò Petrus affirmat Act. 10. vers. 42. divinitus praedeterminatos praeparavit ἑμεῖς ὑπὸ τοῦ θεοῦ fuisse illos, qui in schola Christi docti praedicatione sua eorum quae ipse & fecit & docuit, testes esse debebant; de hac electione ad munus Apostolicum loquitur etiam Christus Johan. 6. vers. 70. nonne ego vos duodecim elegerim, & ex vobis unus est Diabolus? alia verò est electio piorum ad vitam aeternam, de qua Christus dicit Johan. 13. v. 18. non de omnibus vobis dico, ego scio, quos elegerim; ex quo apparet, quod electio ad magna officia & electio ad vitam aeternam non semper sint conjuncta, quod ad timorem Dei & humilitatem impellere debet eos, qui magnis donis ornati & ad magna officia divinitus sunt electi. Quare autem ascensio Christi dicatur ἀνάληψις, postea explicabitur.

His igitur praemisissis transit Lucas ad descriptionem eorum, quae Christus quadraginta diebus inter resurrectionem & ascensionem suam intermediis cum Apostolis egit & locutus est, ubi quinque distincta actionum genera occurrunt, in quibus Christo res fuit cum Apostolis. Primum est παράστασις. Non contentus fuit Christus per mulieres, aliosve nuncios resurrectionem suam Apostolis annunciare, sed seipsum vivum exhibuit καὶ τὸ παθεῖν αὐτὸν postquam passus erat & ex mortuis iterum resurrexerat. Παράστασις forense vocabulum est & proprie significat exhibitionem ejus, pro quo intercessit quis in vadimonio promittendo, quo sensu ferme accipitur Act. 23. v. 33. c. 27. v. 24. sic Christus Sponsor noster factus coram Dei judicio & propter debita nostra in se recepta in carcerem sepulchri conjectus erat, sed liberatus ex eo παρέστη ἐαυτὸν ζῶντα, seipsum viventem exhibuit. Act. 9. v. 41. usurpatur de Tabitha à Petro ex mortuis excitata, quam Petrus παρέστη ζῶσαν exhibuit vivam, iussit ei cibum praebere, ut ipso facto manifestum fieret, eam verè vivere. Ita Christus post resurrectionem discipulis apprensus exhibuit seipsum vivum, id est, multis argumentis confirmavit, se verè resurrexisse & vivere. Magnum autem discrimen est in παράστασις Tabithae & Christi. Tabitha (ut & reliqui à sanctis Dei viris resuscitati) non seipsam exhibuit vivam, sed Petrus eam παρέστη ζῶσαν, Christus autem ἐαυτὸν παρέστη seipsum vivum exhibuit, nimirum quia

quia propriâ virtute ex mortuis resurrexit. Quem admodum vero Christus post resurrectionem seipsum exhibuit vivum, ita monet Apostolus omnes verè pios, ut spiritualiter cum Christo resurgentes se etiam exhibeant vivos in vitâ scilicet novitate & operibus bonis. Rom. 6. vers. 13. *ἑαυτὸς τῷ Θεῷ ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας.* Et quia Christus post suam in cœlos ascensionem etiam Paulo visus est. 1. Cor. 15. v. 8. ideo de hac apparitione idem vocabulum usurpatur 2. Tim. 4. vers. 17. *ὁ κύριός μοι παρέσθη,* Dominus assistit mihi, unde colligitur, quod in ipso corpore suo Christus Paulo assistit, sicut hoc loco discipulis se exhibuisse dicitur. Nec solummodo se exhibuit, sed etiam πολλοῖς τεκμηρίοις multis indubiis argumentis atque indiciis se verè resurrexisse & vivere demonstravit. Aristoteles 1. Rhetor. dicit, *τεκμήριον* significare certum & indubitatum signum, quod facit *ἡ τέχνη*, id est, *τέλος* dubitationi, cui opponitur *ἡ εἰκός*, quod est signum verisimile & probabile ab *ἑοικε* videtur Sapient. 5. v. 11. cum avis aerem pervolat nullum deprehenditur *τεκμήριον* volatus, quodammodo notari potest, quâ volaverit, sed certa & evidentiâ signa non adsunt; Syr. habet vocem *מִנְיָן* ex Hebræo *מִנְיָן* σημεῖον, signum, miraculum, Matth. 12. v. 38. Johan. 2. v. 12. Christus enim non solum veritatem resurrectionis suâ variis apparitionibus, sed etiam majestatem suam multis miraculis coram discipulis comprobavit. Ergo ad *τεκμήρια* illa pertinent apparitiones variâ, contrectationes, mutui sermones, convictus, præsertim verò illa omni sensuum testimonio potior ex Scripturis demonstratio Lucæ 24. v. 27. Item miraculosus ingressus per januas clausas & congeries illa miraculorum in apparitione ad mare Tiberiadas. Hæc omnia etiam nos in fide resurrectionis Christi confirmant, quam tot manifestissimis documentis & τεκμηρίοις comprobata scimus. Emphasis enim est in voce *ἑαυτὸν*, Christus non spectrum, non phantasma, sed seipsum vivum exhibuit discipulis, ac se verè resurrexisse & vivere non uno sed multis indubitatis signis confirmavit. Unum τεκμηρίον sufficere poterat, cum sit infallibile, sed ad majorem fidei confirmationem πολλοῖς τεκμηρίοις Christus uti voluit.

2. *Ὁπτασία* conspectus per dies quadraginta. Christus non solum se vivum exhibuit discipulis, sed etiam se conspiciendum eis præbuit, ut testantur Historiæ apparitionum. *Videte*, inquit, *manus meas & pedes meos.* Conspectus est non uno tantum die, neque enim eodem die, quo resurrexit, ab oculis eorum suo in cœlos ascensu se subduxit, sed conspectus est sæpenumero &c. Nec eminens se conspiciendum discipulis præbuit, sed vestigia vulnerum in manibus, pedibus & latere non videnda solum, sed & tangenda exhibuit. Quod per quadraginta dies Christus à discipulis dicitur conspectus, non est intelligendum hoc modo, quod singulis illis diebus continuis Christus visus fuerit Apostolis, contrarium enim Evangelica Historia testatur, sed quia tot dies inter resurrectionem & ascensionem Christi intercedunt, in quibus aliquoties à discipulis conspectus fuit, ideo Theophylactus observat, quod non dicatur *ἐν ἡμέραις*, quæ phrasîs continuam & quotidianam conversationem exprimeret, sed *δι' ἡμερῶν*, quia Christus *ἐφίστατο* & *παύειν* αὐτὸν *ἔβλεπε*, venit & recessit, Irenæus lib. 1. advers. hæres. cap. 1.

num. 13. edit. Galaf. refert Valentinianos nugatos fuisse, quod octodecim ones, de quibus mirifica spargebant, manifestentur per id, quod Christus octodecim mensibus post resurrectionem à mortuis cum discipulis fuerit conversatus; sed qualis ipsorum doctrina, tale etiam est fundamentum. Lucas testatur per 40. solum dies Christum cum discipulis fuisse conversatum post resurrectionem, id ipsum etiam confirmat missio Spiritus sancti die quinquagesimo post Christi resurrectionem facta. Quare verò per tot dies Christus cum discipulis suis voluit conversari? Respondemus primum in genere, quod veritatem resurrectionis suæ confirmationem ipsis reddere voluerit, quippe cujus præcones ac testes futuri erant in toto orbe Act. 1. v. 8. cap. 10. v. 41. utque de mysteriis regni cœlestis uberius eos instrueret. In specie quod attinet quadragenarium dierum numerum, ejus August. lib. 4. de Trinit. cap. 6. & Epist. 119. ad Januar. ut & lib. 2. de doct. Christ. c. 16. duas affert rationes, primò quod in hoc numero quadripartito mysterium perfectionis insinuetur. *Habent quandam perfectionem* (inquit) *decem, & ea quater multiplicata faciunt quadraginta.* 2. quia ab hora mortis usque ad diluculum resurrectionis horæ sint quadraginta; sed juxta hanc supputationem resurrectio Christi non in tempus matutinum, sed in meridiem ferè incideret, cujus contrarium ostendimus superius ex Evangelistarum descriptione. Beda hunc numerum dicit designare temporalem ac terrenam vitam, vel propter quatuor anni tempora, vel propter quatuor calidiores ventos, in qua Christus invisibiliter nobis præsens est Matth. 18. vers. 20. cap. 28. v. 20. Cyprian. vel quicumque alius autor serm. de ascens. Domin. cap. 1. hanc assertationem: *Corpus viri ad suscipiendum Spiritum organizatur, perficitur & aperitur 40. diebus, ideo etiam Christus ad edificationem corporis sui, quod est Ecclesia, diebus quadraginta cum discipulis suis versatus est.* Nicephor. lib. 1. Histor. Ecclæs. cap. 37. circa finem aliam non contemnendam rationem adducit: *Quadragesimo die ad cœlos, paternumque thronum revertitur Dominus, quod & lex rerum futurarum exemplar & figura, iis qui ex corruptione progeniti essent, per hunc numerum quasi sacrum ductorem, aditum & ingressum ad sacra adyta permittit. Eam scilicet ob causam & nunc primogenitus ex mortuis factus Christus, immortalitatemque creaturae suæ per restitutionem asserens ad supercœlestem, nullaque manu factum, nec non omnium sacrorum sacratissimum ipsius sanctorum sanctorum splendide ac magnifice contendens recipitur. Concinnius ac simplicius est hosce quadraginta dies conferre, primo cum præsentatione Christi in templo. Quemadmodum Christus die à nativitate quadagesimo præsentatus fuit Patri cœlesti in templo Luc. 2. v. 22. ita quoque quadagesimo à resurrectione die in templo ἀχρόπολιν cœlestis Hierosolymæ in cœlo coram cœlesti Patre pro nobis apparere voluit: secundo cum jejuniis Christi in deserto. Quemadmodum Christus quadraginta diebus initio muneris sui jejunavit Matth. 4. v. 2. ita per quadraginta dies post resurrectionem discipulis conversari voluit, ut finis ministerii exordio ejusdem & tempus exaltationis temporis exinanitionis & tentationis responderet: tertio cum variis V. Test. typis. Populus Israeliticus*

quadraginta annis in deserto manna cœlesti illo pane cibatus & ad terram promissionis præparatus fuit Ex. 16. v. 35. Moses quadraginta diebus sine cibo conversatus est cum Deo in monte Ex. 24. v. 18. Davidis regnum quadraginta annorum cursu circumscriptum 2. Sam. 5. v. 4. 1. Par. 30. v. 27. Elias virtute cibi ab Angelo sibi allati ambulat diebus quadraginta per desertum ad montem Dei Horeb 1. Reg. 19. v. 8. hi typi omnes & singuli ad conversationem Christi cum discipulis per dies quadraginta concinè referri possunt. Quidam hos quadraginta dies conferunt cum 40. annis ad pœnitentiam populo Judaico post Christi passionem ad ultimum usque excidium concessis, de quibus R. Haccados in Gale Razeia sive revelatore secretorum petit. 8. sic ait: *Quadraginta annis post passionem suam Deus destructionem prorogabit, ut videat an ad eum convertantur.* Porro hæc conversatio Christi per illos quadraginta dies amœnissimo anni tempore instituta, ut omnium suavissima fuit, ita imaginem exhibuit suavissimæ ac beatissimæ illius conversationis, quæ post nostram resurrectionem nobis continget, tunc enim videbimus eum à facie ad faciem 1. Cor. 13. v. 12. tunc regni cœlestis mysteria explicari audiemus, videbimus eum *ἀλλόωρασιως* & audiemus eum *ἀλλόφωσιως*.

3. *λόγος τοῦ θεοῦ βασιλείας Ἰησοῦ.* Non solum apparuit Christus discipulis post suam resurrectionem, sed etiam de regno Dei cum ipsis collocutus est. Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 5. Scripturæ imperfectionem & traditionum necessitatem ex eo confirmare nititur, sic enim scribit: *Illæ quæ promittebat Dominus se dicturum Johann. 16. dixit haud dubie post resurrectionem suam, ut Lucas testatur Act. 1. per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei. At de gestis & verbis Domini post resurrectionem paucissima scripserunt Evangelistæ. Non autem est ullo modo credibile, Apostolos qui illa viderant & audierant, non tradidisse Ecclesiis, nec enim invidi aut oblivisi erant, ut nolent aut non possent ea dicere.* Resp. Christus post resurrectionem non proposuit Apostolis nova dogmata, quia Johan. 15. v. 15. expressè dicit, *omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Quod igitur Johan. 16. v. 12. inquit: *multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare, nequaquam hunc habet sensum, quod Christus necessaria quædam dogmata prætermiserit, quæ post resurrectionem demum ipsis revelaverit & quidem hac conditione, ut ea non consignarent literis, sed vivâ voce duntaxat traderent Ecclesiis, hoc enim repugnat oraculo Christi, omnia feci vobis nota: repugnat etiam testimonio Joannis 1. Epist. 1. v. 3. quod vidimus & audivimus, annuñciavimus vobis, v. 4. & hæc scribimus vobis.* Verum autem verborum suorum sensum Christus ipse insequentibus monstrat, *Cum venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, num vero alia docebit, quàm quæ jam antè Christum docuerat? imò vero inquit Christus, de meo accipiet & annuñciabit vobis, Joan. 14. v. 26. hanc Spir. S. doctrinam sic exponit: Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis, omnia ἑπομνήσει, in memoriam revocabit omnia, quæ dixi vobis.* Hæc perpendens rectè scribit Jansenius cap. 135. Conc. Evang. pagin. 964. *Multa hæc, de quibus dicit Dominus, adhuc multa habeo vobis dicere, rectè intelliguntur ea, quæ per adventum Spiritus*

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta.

sancti didicerunt apertè & clarè de mysteriis Christianæ fidei: Apertè enim & clarè explicationis horum non erant tunc capaces Apostoli. Non ergo multa hæc (Nota) diversa quædam erant ab eis, quæ hæcenus ipsos Dominus præfens docuerat, sed eorundem plenior & clarior explicatio, sicut cum Paulus dicit Corinthiis 1. Epist. 3. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: tanquam parvulis lac vobis potum dedi, non escam.* Sapientiam autem loquimur inter perfectos 1. Epist. 2. *non vult significare, se alia docere perfectos quàm imperfectos, cum utrisq; eandem prædicaret fidem, sed quod suæ prædicationis & fidei mysteria perfectiùs aperiret perfectioribus, sermonemque suum aptaret audientium capacitati &c.* Hæc omnia Jansenius scriptor alioqui Pontificius, ubi etiam rectè monet ex Augullino tract. 96. in Joh. *Omnes insipientissimos hereticos, qui se Christianos vocari volunt, audaciam figmentorum suorum hac occasione Evangelicæ sententiæ colorare fuisse conatos, ubi Dominus ait: adhuc multa habeo vobis dicere, quibus ibidem respondet. Cum Christus ipse ea tacuerit, quis nostrum dicat, illa vel illa sunt? aut si dicere audeat, unde probat? Quis enim est tam vanus aut temerarius, qui cum dixerit etiam verba, quibus voluerit & quæ voluerit, sine ullo testimonio divino affirmet ea esse, quo tunc Dominus dicere voluit? Ergo libenter hoc concedimus, quod ea quæ tunc ante passionem tunc etiam post resurrectionem Christus cum discipulis collocutus, non omnia in scripturis extant, sed hoc probandum erat Bellarmino, quod Christus spacio illorum quadraginta dierum nova quædam dogmata Apostolis proposuerit, quæ ipsi non redegerint postea in literas, sed vivâ tantum voce tradiderint, sicut Bellarm. fingit, institutionem septem Sacramentorum bis diebus à Christo fuisse promulgatam, quam tamen alibi ex Scripturis evincere nititur, ut videas hominis sibi toties contradicentis intemperiam. Quamvis verò *ἔτι* ut loquitur Joh. c. 12. v. ult. non sint descripta ea, quæ post resurrectionem Christus cum discipulis collocutus est, Lucas tamen summam doctrinæ & generalem quasi *συνόψιν* eorum proponit, quando dicit Christum exposuisse discipulis *τὰ τοῦ θεοῦ βασιλείας Ἰησοῦ.* Regnum Dei accipitur in scripturis tunc pro regno gratiæ in Ecclesia, tunc pro regno gloriæ in vita æterna, utriusq; significationis exempla in scriptis Evangelistarum ubivis sunt obvia. Quemadmodum igitur summa concionum Christi & Johannis sic describitur, quod docuerint *appropinquasse regnum calorum* Matth. 3. v. 2. c. 4. v. 17. id est, quod adventus & regnum Messiæ dudum promissum & expectatum appropinquaverit & prope adsit, quodq; hoc regnum non sit externum, politicum & temporale, sed cœlestè ac spirituale, & proinde etiam bona ejus cœlestia, administratio etiam spiritualis & cœlestis, quod hoc regnum oppositum sit regno Satanae, in quo omnes homines propter peccatum Naturâ constituti sint, sed liberentur ex eo merito & efficacîâ redemptionis per Christum præstitæ, quando scilicet fide beneficia hujus regni in verbo & Sacramentis oblara amplectuntur, ac Spiritu sancto donati in hoc Regno Christo Redemptori ac Regi serviunt & ex regno gratiæ tandem in regnum gloriæ transferuntur &c. ita eadem hæc capita de regno Dei Christus in quadraginta illorum dierum conversatione discipulis exposuit & latius declaravit. Dicitur enim*

eis locutus τὰ πρὸς βασιλείας Ἑθεῶν, ubi articulus ὁ ostendit, Christum discipulis exposuisse omnia ea, quæ quoquo modo ad regnum Dei pertinent. Et capita hujus explanationis colliguntur ex illis, quæ ab Evangelistis sunt descripta. In prima enim apparitione quæ contigit ipso resurrectionis die dicit ad eos: *Sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertîa die, & prædicari in nomine ejus penitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes initio factò Hierosolymis* Lucæ 24. vers. 46. 47. Ostendit igitur regnum suum non esse terrenum & corporale, sed spirituale & cœleste, ideoque passione & morte opus fuisse, ut homines ex regno satanæ liberati in hoc regnum Dei transferri possent: ac se ideo à mortuis resurrexisse, ut ascendens in cœlum & evehctus ad dextram Patris regnum cœleste inchoaret: ostendit etiam medium, per quod beneficia hujus regni distribuenda sint, sc. per prædicationem verbi, cujus summa capita sint penitentia & remissio peccatorum. Itemq; initium hujus prædicationis faciendum esse Hierosolymis, hoc est, ex *Sion* emittendum esse hujus regni sceptrum Pl. 110. v. 2. In eadem apparitione confert eis Spiritum sanctum, ut ostendat regnum illud, cujus præcones constituuntur, esse spirituale, in quo peccata verè penitentibus remittantur, ut gratiæ Dei & vitæ æternæ participes fiant Joh. 20. v. 22. & 23. In secunda apparitione ostendit fide nos fieri participes beneficiorum hujus regni; *beati, inquit, qui non vident & credunt* Joh. 20. v. 29. quia bona hujus regni non comprehenduntur sensibus corporis in hac vita. In tertia apparitione prædicat fortunam civium hujus regni in hoc mundo, quando Petro dicit: *Cum sederis, extends manus tuas, & alius te cinget & ducet, quo non vis* Joh. 21. v. 18. ex quo intelligitur, hoc regnum Christi variis persecutionibus in hoc mundo obnoxium esse. In quarta manifestatione ostendit, quòd per verbi prædicationem & Sacramentorum administrationem hoc regnum propagetur, jubet enim Apostolos *exire in totum orbem, prædicare Evangelium, administrare Baptismum &c.* Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 16. promittit etiam suam assistentiam & auxilium contra omnes hostes, *Ecce ego vobiscum sum &c.* In hac quinta apparitione ex professo refellit opinionem de regno quodam terreno inchoando, & promittit adventum Spiritus sancti, quem Hierosolymis expectare debeant, & postea in toto orbe de sua passione, morte & resurrectione, ejusdemq; beneficiis testificari. Materia igitur colloqui inter Christum resuscitatum & Apostolos fuit de regno gratiæ, de beneficiis hujus regni, de modo administrationis & propagationis, de hostibus illud oppugnantibus, de perpetua ejusdem conservatione &c. Hæc sunt summa capita doctrinæ de regno Dei, quæ Christus intra quadraginta illos dies latius & uberius discipulis exposuit, nequaquam verò novos quosdam fidei arciculos per traditionem tantum Ecclesiæ communicandos secretò ipsis tradidit. Sic quando Christus prædicat Evangelium, jubet agere penitentiam & in Messiam credere, tunc dicitur *prædicasse Evangelium regni Dei*, Marc. 1. v. 14. ac discipuli hæc audientes dicuntur *scire mysteria regni Dei*, Marc. 4. vers. 11. quando autem Judæis propter contemptum denegatur verbum & beneficia Messiæ, tunc dicitur ab illis *aufferri regnum Dei*, Matth. 21. v. 43. ex quo intelligitur, quæ sint illa τὰ

πρὸς βασιλείας Ἑθεῶν, quæ Christus discipulis exposuit, videlicet doctrina de Messia, de ipsius persona & officio, de redemptione humani generis, de ministerio verbi, de Ecclesia, de cruce, de extremo judicio & vita æterna. Quia enim βασιλεία Ἑθεῶν, non solum de regno gratiæ, sed etiam de regno gloriæ sive vita æterna accipitur Marc. 9. v. 47. Luc. 22. v. 16. & quia omnia quæ in regno gratiæ aguntur, ad regnum gloriæ velut ad finem & scopum referuntur, ideo doctrina de vita æterna itidem pertinet ad illa capita concionum Christi, de ea non solum verbis docuit discipulos, sed etiam in ipso glorificato suo corpore exemplar futuræ gloriæ olim expectandæ ipsis proponere voluit. Euseb. lib. 5. *εὐαγγ. ἀποδ.* p. 106. *Christus initia novæ illius vitæ in corpore suo demonstravit, & palam ob oculos posuit, ut hoc spectaculo confirmati alacrius Evangelium inter gentes propagarent.* Ut autem Christus non solum integro triennio & quod excurrit ante suam passionem, sed etiam quadraginta illis diebus post resurrectionem instituit Apostolos, eosque ad arduum hoc munus formavit, ita illos quibus ministerium Evangelicum ipsis Angelicis humeris tremendum, ut Bernhard. loquitur, committendum est, rectè & solidè prius institutos esse oportet, ut sint ἀνεχόμενοι ἑμὴ τὴν διδασχὴν πιστῶ λόγῳ Tit. 1. v. 9.

4. *Κυνηγορῆς convictus*, quem per τὸ *Κυναλιζόμενον* accipimus. Erasmus vertit *congregans illos*, ita enim usurpatur apud Scriptores Græcos, Herod. in Euterp. *εἰς μὴν πόλιν τῆς γυναικὸς Κυναλισσῶσα*, hoc est, *Κυναγαγόντες*. Xenoph. lib. 1. *πᾶδ. 2. πρὸς πολλὰς ἑσπείας Κυναλισσῶσας*. Sunt, qui exemplis probare conantur *Κυναλιζόμενον* talem proprie notare congregationem, quæ obtentâ victoriâ militum ex pugna dispersorum esse solet. Item quâ pastor dispersas oves subiectum colligit, quæ significationes optimè congruerent huic loco, quia Christus discipulos fugitivos velut dispersas oviculas iterum collegit, & ad spiritualem malitiam armavit. Epiphani. in anaceph. legit *Κυναλιζόμενον*, *commoratus in uno habitaculo & contubernio*; Epiphanius sequitur Valla, sed Camerarius in notis minus depravate sic legi. Secuti igitur Chrysostomum, qui per τὸ *Κυναλιζόμενον* intelligit *κοινωνίαν ἀλλήλων καὶ συμπέτης* de *Κυνηγορῆ* seu convictu Christi cum discipulis, hoc verbum exponimus, sicut & vulgatus Interpres vertit, *conversens*. Atque ita paulatim ac velut per gradus ascendit oratio de resurrectionis Dominicæ manifestatione. Christus non solum vivum se exhibuit Apostolis post resurrectionem, sed & cum illis collocutus est: nec solum collocutus, sed etiam cum iisdem manducavit ac bibit, quod cum primis prædicat Petrus Act. 10. v. 41. Adde quòd verbum *Κυναλιζόμενον* ponitur absolute, neq; additur *αὐτῶν*, ut de congregatione acceptum poni solet, quodq; ea, quæ Lucas hic describit, non in monte oliveti, ut quidam putant, & hoc argumento interpretationem de convictu oppugnant, sed Hierosolymis in domo ea, in qua congregati fuerunt discipuli, sint gesta. Syr. notanter reddidit: *& cum comederet cum illis panem*. Habebant autem Syri translatores Antiochiæ ipsos Apostolos vel certè Apostolorum discipulos & successores præsentem, quos de locis obscurioribus audire ac consulere poterunt, quidam tamen longè post Apostolorum tempore versionem Syriacam adornatam fuisse statuunt, quâ de re suo loco pluram Eodem

Eodem sensu redditur in Arabica versione. Porro quomodo Christus non ex necessitate sed ex libera æconomia post resurrectionem manducaverit, expositum est superius in Exegeti primæ manifestationis.

5. *ἡ ἀρχὴ τοῦ πνεύματος* speciale, quod Hierosolymis non debeant discedere, sed promissionem Patris, h. e. Spir. S. missionem expectare. Hoc præceptum ipso ascensionis die Christus dedit Apostolis, prius enim in Galilæam eos abire iusserat, sed postquam ipsius iussu Hierosolymas reversi fuerant, præcepit eis, ne in de discederent, priusquam Spir. S. cœlitus mittendi participes essent facti. Sic ergo modis omnibus hoc agit, ut Apostolos doceat, regnum suum non esse mundanum ac terrenum, sed spirituale & cœleste. Revocat enim illis in memoriam promissum Patris; jam verò nullibi promissus erat Apostolis magnus equitum ac pedum exercitus, quo invaderent regna hujus mundi, eaq; occuparent & inter se distribuerent, sed promissus erat eis S. S. cujus virtute ex alto induti ad prædicandum Evangelium in toto orbe nullâ periculorum, odiorum & persecutionum habitâ ratione animarentur. Hanc visibilem Spir. sancti effusionem die decimo postea secutam vocat Christus *ἐπαγγελίαν promissionem Patris* sui cœlestis, tum quia in V. T. Esa. 44. v. 3. Ezech. 36. v. 2. Joel. 2. v. 28. Zach. 12. v. 10. ea fuit promissa, tum quia ipse in N. T. nomine Patris sui, & à Patre mittendum S. S. discipulis promiserat, disertè enim additur eam promissionem intelligendam esse, quam à Christo audierint Apostoli. Joh. 14. v. 16. 17. 26. c. 15. v. 26. c. 16. v. 7. & 13. ubi Pater in nomine Christi dicitur missurus Spiritum S. & visissim Christus dicitur eum missurus à Patre, ut essentia in Patre & Filio unitas atq; æqualis potestas denotetur. Hoc modo promissum istud Patris Christus ipse interpretatur, quando ad Apostolos dicit: *Ecce ego mitto* (quia post dies pauculos id futurum erat, ideò præsens pro futuro ponitur) *promissum Patris mei super vos, vos autem sedete in civitate Hierusalem, quoadusque induamini virtute ex alto, quoniam Johannes baptizavit quidem aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto post dies hosce non multos.* Post visibilem Spiritus sancti effusionem Apostoli exire debebant *eis πᾶσας χῆρας* in omnes mundi regiones & angulos, sed priusquam illa Spir. S. effusio esset, jubentur *μὴ χωρῖζεσθε* non discedere aut separari Hierosolymis. Jam antè iussi erant *penitentiam & remissionem peccatorum prædicare in omnes gentes* Luca. 24. v. 47. *ire in mundum universum & prædicare Evangelium omni creature* Marc. 16. v. 15. ne verò existimarent, statim post ascensionem Hierosolymis in universum mundum cum prædicatione Evangelii sibi abundum esse, ideò Christus certum tempus exprimit, intra quod Hierosolymis non debeant discedere, sed in urbe illa *καθίσθαι sedere*, & promissionis de effusione Spir. S. complementum expectare, significat autem *καθίσθαι* h. l. manere, quia mansuri aliquo in loco considerare solemus, quo modo etiam accipitur Matth. 26. v. 36. Marc. 14. v. 32. Act. 18. v. 11. & LXX. utuntur hoc verbo *ἠῶν habitavit, mansit* Jud. 9. v. 41. c. 11. v. 18. c. 19. v. 4. Syrus habet verb. *ἠῶν mansit, præsolatus est, expectavit, speravit, in mentem rem desideratam collegit*, quo etiam utitur Act. 1. v. 4. pro *ἠῶν ἐμῆς*. Porro fructum illius pro-

Harm. Tom. III. vel Gerbard. Cont. pars quinta.

missionis de effusione Spiritus S. Christus tum periphraasi, tum collatione cum Baptismo Johannico declarat. Periphraasi hæc est, quod per Spiritum S. Apostolos dicit *induendos esse virtute ex alto.* Antè missionem Spir. sancti Apostoli erant timidi ac meticulosi, foribus ac seris adversus impetum Judæorum sese muniebant, sed Spiritus S. qui est Spiritus *δυνάμεως* 2. Tim. 1. v. 7. dedit eis robur animi ac virtutem, ut Christum intrepidè ac publicè coram juratis ejus hostibus, coram Principibus & Regibus profiterentur, ut ex Actis Apostolicis manifestè constat; hæc virtute dicuntur induti, h. e. muniti & ornati sicut vestis corpus contra frigus munit, idemq; ornat; Simili ferè phraasi Apostolus jubet *Christum induere* Rom. 13. v. 14. Gal. 3. v. 27. *induere novum hominem* Eph. 4. v. 24. Col. 3. v. 10. *induere πανοπλίαν Dei* Eph. 6. v. 11. fide enim participes reddimur Christi & Spiritus sancti, qui nos renovat, munit atque ornat. LXX. utuntur pro *ἠῶν cinxit, accinxit se* 2. Sam. 6. v. 14. Desumpta autem hæc phraasi ex V. T. quia 1. Paral. 12. v. 18. dicitur *ἠῶν Spiritus induit Amasai*, h. e. excitavit & armavit illum ut animosè Davidem consolaretur. 2. Paral. 24. v. 20 *Spiritus Dei induit Zachariam*, ut masculè idololatriam reprehenderet. *Indui salute & vestimentis salutis dicitur* 2. Paral. 28. v. 41. Pf. 131. v. 17. Esa. 61. v. 10. h. e. participem fieri salutis, ornari & vestiri salute, ita ut ministerium toti Ecclesiæ sit salutare. Pf. 108. v. 17. vis metaphora in verbo induendi pulcerri- mè explicatur: *Induat maledictionem sicut vestimentum, & veniat sicut aqua in medium, & sicut oleum in ossa ejus*, ubi apparet metaphora induendi singularem ac intimam quandam appropriationem denotari, qui enim vestem induit, eam penitus sibi adjungit, & quasi agglutinat. Paulus in hac significatione utitur verbo *ἐν δυνάμει* Phil. 4. v. 13. omnia possum *ἐν τῷ ἐνδυναμῆντι με ἡρισθῆναι*. Quando igitur Apostoli dicuntur *induendi virtute ex alto*, sentus est, quod peculiaribus Spiritus sancti donis sint ornandi ac armandi ad Evangelium in toto orbe prædicandum, quod eminentiori quodam modo Spiritus S. in ipsis habitare debeat, quàm in reliquis credentibus, ita ut ipsorum prædicationi & scriptis tanquam *αὐτοπίστῳ* & infallibili Spiritus sancti testimonio sit credendum. Postea confert Christus visibilem Spir. S. effusionem cum Baptismo Joannis, quoniam (inquit) *Joannes baptizavit quidem aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu sancto post dies hosce non ita multos.* Hanc oppositionem Bellarm. lib. 1. de Bapt. cap. 21. & reliqui Pontificii sic exponunt, quod *Baptismus Joannis non fuerit efficax ad remissionem peccatorum, nec habuerit adjunctam operationem Spiritus sancti.* Sed hanc opinionem ex immotis Scripturæ fundamentis in locis refutavimus. Quidam igitur hanc oppositionem sic exponunt, *Joannes Baptizavit aquâ, h. e. administravit externam Baptismi Ceremoniam, quæ licet non fuerit otiosa, sed Spir. S. vim conjunctam habuerit, ea tamen non est à Johanne collata, qui fuit tantum minister Baptismi.* Christus autem est is, qui baptizat Spiritu sancto, h. e. per externam Baptismi Ceremoniam Spir. S. dona confert. Hæc explicatio congruit verbis Joannis Baptistæ, qui in præfenti dicit: *qui misit me baptizare, hic est, qui baptizat in Spiritu S.* Joh. 1. v. 33. & præbet utilem doctrinam, quod Spirituality & cœlestia Baptismi bona

Z z 2

Deum.

Deum autorem habeant, & per aquam verbo Dei comprehensam distribuatur quidem, nec tamen ab aqua, sed à Dei virtute & bonitate descendant. Sed cum de futuro quodam Baptismo Apostolis jamdum à Johanne baptizatis adhuc conferendo Christus loquatur, cumq; in illis locis, in quibus eadem oppositio extat, utpote Matth. 3. v. 11. Marc. 1. v. 8. Luc. 3. v. 16. Joh. 1. v. 26. disertè addatur, *Apostolos baptizandos esse Spiritu sancto & igni, denique cum hæc verba αἰτιολογικῶς* prioribus subjungantur, ideo concinnius est, oppositionem accipere de communibus illis Spiritus sancti donis, quæ per Sacramentum Baptismi sive à Joanne, sive ab Apostolis, sive à reliquis verbi ministris administratum, omnibus credentibus conferuntur: & de singularibus atq; admirandis illis Spiritus sancti donis, quæ in die Pentecostes discipulis Christi in specie linguarum ignearum collata fuerunt; inde promanavit distinctio inter *Baptismum fluminis, fluminis & sanguinis*, de qua quid statuendum sit, alibi expositum fuit. Porro illorum donorum effusio vocatur *Baptismus* propterea, quod copiam & abundantiam, siquidem Spiritus sancti dona opulenti effusa sunt super Apostolos, juxta vaticinium Joelis 2. v. 28. Sicut baptizati largiter aqua perfunduntur, ita quoq; Spir. S. largiter in Apostolos effusus est; juxta quam metaphoram *baptizari* etiam dicuntur, qui malis quasi immerguntur Matth. 20. v. 22. Marc. 10. v. 38. Luc. 12. v. 50. respicit etiam vocabulum baptismi de peculiaribus Spir. S. donis super Apostolos effusis usurpatum ad illa Scripturæ loca, in quibus Spir. S. vocatur *aqua salutaris & vivificæ* Esa. 44. v. 3. Joh. 7. v. 38. Apoc. 22. v. 1. Ut enim in Baptismo aqua affunditur baptizandis, sic in miraculosa illa Spir. S. donatione salutaris & vivificæ aqua largiter super Apostolos est effusa. Idque futurum dicit hoc loco Christus, *post dies non ita multos*. Noverat exactè & accuratè articulum temporis, quo hæc promissio Spir. S. super Apostolos effundendi implenda erat, noluit tamen certum ac determinatum tempus definire, ut in sanctæ obœdientiæ legibus Apostolos contineret: *Non est vestrum, inquit, nosse tempora & articulos temporum, quæ Pater possit in potestate sua*, Complementum autem prædictionis Act. 2. v. 1. descriptum ostendit *decem dierum* intercessisse. Quare vero Hierosolymis promissum de Spir. S. missione jubentur expectare? potuisset Christus etiam alibi hoc promissum complere, sed voluit Hierosolymis super Apostolos Spir. S. effundere, primò ut impleverent vaticinia V. T. Esa. 2. vers. 3. Mich. 4. *ex Sion exibit lex & verbum Domini de Jerusalem*. Zach. 12. v. 10. diserta fit mentio *civium Hierosolymitanorum*, super quos effundendus sit Spir. S. deinde ut ipsius Christi prædictionis impleretur Luc. 24. v. 47. quòd *initium prædicationis Evangelicæ Hierosolymis faciendum sit*, denique ut ostenderetur in sola Ecclesia, quæ est *Spiritualis Hierosolyma* Gal. 4. v. 26. Spiritus sancti charismata vigere, quo sensu *ἀλληγορικῶς* exponi potest, quòd Spir. S. promittitur sedentibus in illa urbe, illis scilicet dandum esse Spir. S. qui à fluctibus terrenarum cupiditatum & humanorum desideriorum intentis in cælum animis quieti sedent.

2. Colloquium discipulorum cum Christo constat *ἐπερωτήσεις & ἀποκρίσεις ἐπερωτήσεως* est discipulorum. Illi igitur ubi convenissent, percontabantur illum dicentes: *Domine, num in tempore hoc restituis re-*

gnum Israel? Superius dixit Lucas, Christum mandata dedisse Apostolis *ἐντεταλαμένους τοῖς ἀποστόλοις* huic responderet articulus *οἱ ἡμετέροι*, illi ipsi quos Christus ultra triennium in privata schola informaverat quibus post resurrectionem sese vivum exhibuerat, & de regno Dei ad ipsos locutus fuerat, illi, inquam, hanc quæstionem proponunt. Deinde dicuntur *συνελθόντες* hactenus velut oviculæ dispersi fuerant Apostoli, in prima apparitione aberat Thomas, in tertia septem tantummodò discipuli congregati erant, sed cum jam in cælum ascensurus esset, omnes simul congregat, intelligitur enim ex 1. Cor. 15. v. 7. quòd Christus ipso ascensionis die *Apostolis omnibus* visus sit. Arguit hoc fidelem Christi pastoris curam, quòd dispersas oviculas iterum colligit. Monet insuper verbum *συνελθόντες*, quòd maturo consilio & communi suffragio quæstionem hanc ad Christum detulerint, neque enim unus vel alter privato nomine quærit, sicut Jacobus & Johannes Marc. 10. v. 37. sessionem ad dextram & sinistram in Christi regno privatim petunt, reliquis propterea indignantibus, sed hoc loco omnes quærunt, vel quòd idem est, unus nomine omnium quæstionem in Confessu deliberatam proponit; ita enim usurpatur verbum *συνερχεσθαι* Marc. 14. v. 53. Act. 25. v. 17. c. 28. v. 17. de conventu Senatorum ad rerum graviam deliberationem. Syrus habet verbum *כְּבָר*, à quo est *כְּבָרָא* Confessus, Concilium, Ecclesia. Ipsa quæstio talis est: *Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israel?* Christus per quadraginta illos dies sæpius ipsis concionatus fuerat de regno Dei, hac occasione proponunt quæstionem, an hoc ipso tempore restitutus sit regnum Israel? Potest etiam cogitari, quòd conciones Christi de suo ad Patrem abitu & ad cælos ascensu huic quæstioni occasionem dederint, hunc enim Christi abitum mirati quærendum censent, an hoc ipso tempore, an post multos demum annos regnum Israelis, de quo toties audierant, sit restitutus? Quis vero genuinus hujus quæstionis sensus? Matthesius in tractatu de vita Christi statuit, Apostolos de die extremi iudicii quæsisse, quòd ex Christi responso probare conatur; Nec delituiter hæc interpretatio suis rationibus: Nam 1. Christus per quadraginta dies instituerat Apostolos de regno Dei, ergo non est verisimile, inveteratum illum errorem de regno terreno nondum fuisse animis ipsorum exemptum. 2. audierant Matth. 19. v. 28. Luc. 22. v. 30. extremi iudicii diem sic describi, *sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel*. 3. Petrus Act. 3. v. 20. extremi iudicii diem vocat *ἡμέραν ἀποκαταστάσεως πάντων*, ubi ex hac ipsa quæstione verba videri possent desumpta. 4. Christus in suo responso non corrigit opinionem de regno terreno, sed curiosam quæstionem temporis redarguit; Quòd si ipsi ut *καρδιολογικῶς* constitisset, ex prava opinione & persuasione terreni cuiusdam regni hanc quæstionem procedere, possit videri suo silentio eandem in animis discipulorum tacite confirmare. Sed præconceptæ discipulorum opiniones, & ipse verborum sonus manifestè ostendunt de restitutione mundani cuiusdam regni ipsos quærere, neque enim de regno Dei, de quo Christus ad ipsos fuerat locutus, sed de regno Israelis quærunt, quo nomine quid intelligant, duo ex consortio ipsorum Emaunta euntes manifestè indicant Lucæ 24. v. 21. *Sperabamus, quòd*

quod ipse redempturus esset Israel. Primo igitur usitato nomine ipsum compellant, vocant *κύριον*, sive ut Syrus habet *דברו* suum Dominum, ita enim ipsum appellare consueverant Joh. 13. v. 13. deinde ipsam proponunt quaestionem, cuius mebra duo sunt, prius de restitutione regni Israel, posterior de tempore illius restitutionis agit. Videbant collapsum esse regnum Israelis ac Judaeos in Romanorum potestatem redactos esse; noverant verò ex Prophetis, per Messiam iterum erigendum ac stabiliendum esse Davidis regnum 2. Sam. 7. v. 3. 1. Paral. 22. v. 10. Pl. 89. v. 5. Esa. 9. v. 7. quò cum primis pertinet vaticinium. Amos 9. v. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cadit & sepium aperitur as eorum & diruta eius suscitabo & edificabo illud sicut in diebus seculi;* hæc vaticinia Prophetica, edocti scilicet in schola Pharisæica, accipiebant de politica quadam Monarchia per Messiam instaurandâ & Judæis à jugo servitutis Romanæ liberandis. Quare cum Jesum Nazarenum pro Messia agnovissent, eundemque de regno Dei differentem sapius audivissent, ideò querunt quid spei de *δοκιμασίας* illius regni adhuc reliquum sit: cumque audivissent se induendos virtute ex alto post dies non ita multos, ideò quaerunt etiam de tempore restitutionis, an hoc ipso statim tempore armati virtute supernâ debeant regna mundi oppugnare & in potestatem suam redigere; neque enim percipere poterant, quomodo Christi discessus cum illa promissione restituendi regni Israelitici sit conciliandus. Potest etiam cogitari, quòd ideò mentionem temporis faciant, quia in totum orbem se ablegandos audierant, quaerunt igitur, quantum temporis spacium sibi adhuc relictum sit, quo auxilia sibi comparent, copias conficiant, atque alia necessaria ad occupandum regnum parent. Sane Christus non semel, sed aliquoties in veteratum illum errorem discipulorum animis eximere voluit, utpote Matth. 20. v. 25. Marc. 10. v. 40. Luc. 22. v. 25. Joan. 6. v. 15. c. 19. v. 36. quin & ipsi Prophetæ, quorum vaticinia de regno Messiae minus rectè accipiebant, spirituale illud & cœleste regnum fore disertè testantur, quoties scilicet, de passione ac morte Messiae concionantur, quoties regnum illius vocant *regnum cali* Dan. 2. v. 44. & *eternum* Dan. 7. v. 14. quoties eosdem hujus regni & totius orbis limites statuunt &c. Sed hæc & similia vaticinia Scribæ & Pharisæi sicco pede transibant, & quia carnalis libertatis erant avidissimi, nec sensum legis & vim peccati rectè pernoscebant, ideò ad carnales suas opiniones de regno quodam terreno omnia illa vaticinia referebant, unde ipsis discipulorum animis tam pertinaciter error ille, cum primo statim lacte haustus, adherescebat, ex quo apparet, quid causæ sit, quòd post tot perspicuas Christi informationes veterem illum errorem adhuc errent; ac verisimile est promissum Christi de judicio tribuum Israelis Matt. 19. v. 28. ipsos itidem carnaliter intellexisse. Quòd autem Petrus Actor. 3. vers. 20. promissionem illam rectius intelligit & diem judicii vocat *χρόνον ἀποκαταστάσεως*, id factum est post acceptum Spiritum S. à quo in omnem veritatem ducti sunt. Id vero mirum alicui videri posset, quòd Christus perverfam illam opinionem in discipulis non corrigit, sed ad temporis solum quaestionem respondet; sed noverimus, Christum ideò de quali-

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta.

tatibus hujus regni uberiorem informationem distulisse, quia brevi missurus erat Spir. sanctum, à quo in omnem veritatem ducendi erant. Expofuerat aliquoties rationem hujus regni: quo cum fructu, ex hac quaestione discipulorum valedictoria apparet. Ut ergo Luc. 22. v. 38. cum parabolico sermone tunicam ipsam vendere & gladium emere juberet, & verò discipuli sensum verborum haudquam assecuti dicerent: *Ecce duo gladii hic*, ipse respondet, *sufficit*, q. d. video me omnem in vobis informandi operam hoc tempore frustra ponere, antequam cœlestis ille doctor Spir. S. mentem illuminet: ita etiam h. l. agit & pratermissâ opinione de regno terreno ad quaestionem de temporis articulo respondet, noverat enim intra dies paucos re ipsa patefactum iri, quale regnum in toto orbe velit inchoare. Eodem modo hanc ἀπόρησιν solvit Justin. vel quisquis autor sit libri quaest. & responsi ad Orthodoxos. Dubium ipsum proponit quaest. 112. p. 361. *Si regnum Israelis Apostoli putaverunt esse gloriam & delicias & laxamentum terrenum ἀσθενήτων, sicut nonnulli dixerunt, quare Dominus de hoc ab illis interrogatus, non solum errorem illorum non correxit, verum etiam ignorantiam eorum astrinxit ἐπέσφιγγεν ἀντὶ τῶν ἀγνοῦντων, dicens illis: Non est vestrum nosse tempora & articulos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit potestate? Porro responsum hoc illorum constabit quaestionem. Respondet autem hoc modo: Et hoc ipsum ex eis unum est, quæ ab Apostolis ante adventum (τὸ πρὸ τῆς Παύλου ἐπιπέσεως ante illuminationem) Spiritus sancti cognosci non poterunt pro eo atque dictum est, καὶ ἔγνωσαν. Multa habeo, quæ vobis dicam, sed non potestis portare: Cum autem venerit ille, qui est Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Ubi verò à Sp. S. edocti sunt illud, & ventrem & escas Deus abolebit, ex opinione Judaica ad sensum translati sunt, statui eorum, qui ex mortuis resurgunt, convenientem, in quo neque esca neque potio neque matrimonium est, sed Angelis Dei similes erunt resurrectionis filii. Hoc ergo, non est vestrum nosse tempora & c. speciem non habet per imprudentiam conceptam interrogantium opinionem confirmantis, sed in ambiguo interrogantes de utroque & tempore scilicet & modo opinionis conceptæ relinquens ὁδοὶ ἐστὶν ἀληθὴς βεβαιωτικὸν ἐρωτησάντων ἐν τῇ κατ' ἀγνοῦσαν ἀποκατάστασιν ἀλλὰ ἀπορητικὸν ἀμφοτέρων, ὅτι τε καὶ τὸ χροῖον καὶ τὸ ἄρθρον ἀποκατάστασεως ἐρωτησάντων. Hæc Justin. Porro verbum ἀποκαταστήσειν significat propriè in locum pristinum reponere, in pristinum statum restituere apud Herodian. Apud Medicos usupatur de sanitatis restitutione, quo sensu etiam accipitur Matth. 12. v. 13. Marc. 3. v. 5. c. 8. v. 25. Luc. 6. v. 10. Cum ergo regnum Israeliticum esset quasi morbidum & lethalliter infirmatum, ideò quaerunt discipuli, an Christus illud restitutus sit in pristinum statum ac locum? Matth. 17. v. 11. Marc. 9. v. 12. cum Christus de resurrectione sua discipulis concionaretur, quaerunt illi, quid ergo dicunt Scribæ, Eliam prius venire oportere? Christus respondet: *Elias quidem venturus est primum καὶ ἀποκαταστήσει πάντα*, omnia reponet in pristinum locum, ubi loquitur de Joh. Bapt. qui convertit corda Patrum ad filios & incredulos ad prudentiam iustorum Mal. 4. v. 7. Luc. 1. v. 17. atque hac ratione omnia restituit, fortè igitur quaestione sua ad hunc ipsum Christi sermonem respiciunt discipuli, nondum enim viderant à Johanne Baptista omnia eo modo restituta esse, quo quidem ipse ea resti-*

Zz 3 tuenda

tuenda esse opinabantur, quærunt igitur, an sibi illa partes restituendi regnum Israeliticum sint relicta? Jer. 16, 14. c. 24, 6. c. 50, 19. de reductione ex captivitate Babylonica usurpatur hoc verbum *δοικατα-εἴσω τὸ Ἰσραὴλ εἰς τὸ νομῆν*, quærunt ergo discipuli, an sicut olim ex Babylonica captivitate liberati sint Israëlita, ita denuò ex servitute Romana sint hoc tempore liberandi? Syrus habet verbum *נשפ* respexit, vertendo se ad aliquid vidit. Deus videbatur hætenus faciem suam a regno & populo Israël aver- tisse, quia sub jugum Romanorum erant redacti, quærunt igitur, an brevi futurum sit, ut oculis gratiæ iterum à Deo respiciantur, sicut in Ægyptiaca servitute olim factum erat, ubi Deus dicit Exod. 3. v. 7. *Videndo vidi afflictionem populi mei*. Apparet autem ex hac quæstione discipulorum, quanta sit mentis nostræ in pernoscendis divinis rebus cæcitas, quanta vis in veterati erroris, quanta Naturæ nostræ in inquirendis non necessariis curiositas, quanta proclivitas ad mundanum regnum Christo tribuendum, in quo errore non solum discipuli cum Scribis & Phariseis olim hæserunt, sed etiam Chiliaistæ, quorum opinio magnis etiam in Ecclesia viris imposita: quin & hodie Romanus Pontifex vicarium Christi se jactitat, cum tamen regnum merè terrenum & politicum sibi vendicat. Sed & illi regnum Christi de hoc mundo esse statuunt, qui corporalia potissimum & terrena beneficia à Christo petunt & expectant, de cælestibus ac spiritualibus parùm interea solliciti, qui Ecclesiæ veritatem à felicitate temporali æstimandam censent, qui cruce, calamitatibus & persecutionibus in regno Christi offenduntur, qui ab externo splendore regnum Christi judicant, & *ἐν τῷ ὄρατι* illud venire existimant Luc. 17. v. 20. ut latissimè pateat error ille de mundano CHRISTI regno.

Discipulorum *ἐπερωτήσθ* subjungitur Christi *ἀπόκρισις*: *Non est vestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater constituit in sua ipsius potestate, sed accipietis virtutem, postquam Spir. S. advenerit super vos, & eritis mihi testes non solum Hierosolymis, verum etiam in universa Judea, Samariaque denique usque ad extremam terræ.* Christus infirmitatem discipulorum solita *φιλανθρωπία* ac *μακροθυμία* *ὑποποφωρῶν* mitissimè respondet ac primùm curiositatem ipsorum corrigit, deinde quid illos cum primis scire deceat, exponit: utroque membro quæstioni ipsorum indirecte respondet, non quidem simpliciter quæstionem rejicit, sed curiositatem imprimis reprehendit, reverà enim regnum Israël erat restituendum, sed modo alio, quàm discipuli sperabant, quem indirectè & oblique Christus indicat, quando de missione Spiritus sancti & testificatione Apostolorum in toto orbe ipsis denuò concionatur. Ex missione Spiritus colligere debebant, regnum hoc fore spirituale: ex testificatione colligere debebant, non mudanos Reges ac judices, sed Christi testes & Evangelii præcones sese futuros: ex limitibus hujus regni colligere debebant, illud non fore terrenum aut mundanum, cum nullus unquam totum sibi orbem subjicerere potuerit. *Non est vestrum* (inquit) h. e. non convenit vobis, non decet vos, quo sensu etiam Latini dicunt: *Est adolescentis majores natu vereri*. Posset etiam reddi, *non potestis*, ea enim solum nos facere posse dicimur, quæ honestè

possumus, & quæ nos facere æquum est 1. Cor. 10. v. 21. 2. Cor. 13. v. 8. non est vestrum nosse. *γνώσθ* significat *scire & cognoscere*: per Naturam igitur discipuli scire non poterant nec revelari ipsis conveniebat *χρόνος ἢ καιρὸς* tempora & articulos temporum, quos Pater posuit in sua ipsius potestate. *χρόνος* simpliciter significat *tempus*, item diurnitatem temporis, *χρόνιον* enim est *longo tempore durare*: sed *καιρὸς* proprie significat *oportunitatem temporis*, quod Latini dicunt articulum, sicut est apud Comicum: *Ut in ipso articulo me oppressu* Eccl. 3. v. 1. *ὅτις πᾶσιν ὁ χρόνος καὶ καιρὸς τῶ πάντι*, h. e. omnia habent certum tempus durationis, & omnia etiam suam habent oportunitatem, quo sc. tempore peragi debeant, sicut postea subjungitur, *tempus plantandi, tempus evellendi* Dan. 2. ver. 21. ipse mutat *καιρὸς καὶ χρόνος*. Chald. *removet Reges ac constituit Reges*, constituit certis ac definitis temporibus regna, eademq; oportuno tempore iterum transfert. August. Epist. 78. ad Hefych. in med. *Nostri utrumque hoc verbum tempora appellant, sive χρόνος sive καιρὸς, cum habeant hæc duo inter se non negligendam differentiam, καιρὸς quippe appellant Greci tempora quidem, non tamen que in spaciolorum volumibus transeunt, sed que in rebus ad aliquid oportunis vel importunis sentiuntur, sicut messis, vindemia, calor, frigus & si qua similia, χρόνος autem ipsa spacia temporum vocant.* Syr. vocem *נשפ* bis repetit, prius in singulari, postea in plurali. *Non est vestrum scire tempus & tempora sive temporum voces.* Senfus igitur est, quod Apostolis non conveniat scire *χρόνος* rerum durationes, quamdiu Romanum imperium in Judæos durare debeat, quamdiu mundus duraturus sit & c. nec *καιρὸς*, i. e. momenta & occasiones rerum, quando Deus rerum vicissitudinem instituire velit, regna mundi erigere, transferre, destruere; quo temporis momento dies extremi iudicii sit venturus, & c. Christum enim non solum ad decursum temporis in hoc mundo, sed etiam ad finem ejusdem his verbis respicere docet Apostol. quando 1. Thes. 5, 1. verbis ex hoc responso Christi mutatis dicit: *ὅτι τὸ χρόνον καὶ καιρὸν de temporibus & momentis temporum non indigetis, ut scribamus vobis, ipse enim scitis, quod dies Domini sicut fur in nocte veniet & c.* 1. Tim. 6. v. 14. quod *Ἰησοῦς* Christi ad iudicium *καιρὸς* id est Deus ostensus sit, perinde ut hoc loco Christus dicit, illos *καιρὸς*, posuisse Deum *ἐν τῷ ἰδίῳ ἐξέσθια*. Porro verba illa Christi quos Pater posuit in potestate sua, dupliciter accipi possunt: primum *αιτιολογικῶς* ut sit sensus, idè non est vestrum scire tempora & articulos temporum, quia Pater illos in sua ipsius potestate posuit: quod ergo secretæ Dei cognitioni est relictum, in id curiosè non debent homines inquirere, quæ ratione alterum argumentum dehortationis ab hac curiosa inquisitione proponeretur; Apostoli non debent tempora & temporum articulos inquirere, tum quia non est ipsorum, non pertinet ad officium Apostolicum: tum quia Pater cælestis in sua ipsius potestate ea constituit. Deinde *ειδικῶς*, ut illorum solum *χρόνον καὶ καιρὸν γνώσθ* καὶ ἐξέσθια prohibita intelligatur, quorum cognitionem latere nos voluit Deus ac sibi soli reservavit. Sic inquirere debemus *χρόνος* durationes temporis ab exordio mundi usque ad nostram atatem, item *καιρὸς* occasiones rerum gerendarum Eccl. 3. ver. 2. & c. illos autem *χρόνος καὶ καιρὸς*, quos Deus in sua ipsius pote-

potestate constituit, non debemus inquirere, hoc est, quo die vel anno præcise infest finis mundi, vel quomodo ex astris fatales rerum eventus & oportunitates agendi dependeant, sicut Genethliaci & Astrologi hac de re multa nugantur. Utraque sententia pia est & fidei analogia congrua, prior autem magis convenit textui. Quemadmodum enim Christus Matth. 20. v. 23. & Marc. 10. v. 35. cum Jacobus & Johannes peterent sessionem ad dextram & sinistram, respondet eis: *Nescitis quid petatis &c. sedere ad dextram meam & sinistram meam non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*, h. e. vos non convenit de regnis mundanis esse sollicitos, illa distribuit cœlestis Pater quibuscunq; vult; ita etiam hoc loco dicit discipulis: *Non est vestrum scire tempora & articulos temporum, quos Pater posuit in sua ipsius potestate*, id est, quid de tempore regni Israelitici quæritis, cuius ut & reliquorum regnorum constitutionem suâ potestati cœlestis Pater reservavit? Et sic emphasis est in phrasi *id est & scitis*, Christi verba accipiamus. Syrus habet verbum *ܡܘܕܝܢܐ* quod de potestate imperandi plerumq; accipitur, ut sit sensus: Cœlestem Patrem suâ potestate & arbitrio regna huius mundi erigere, transferre & destruere, quibus verò temporibus & temporum articulis illud sit facturus, frustra ab Apostolis quæri, cum non pertineat ad ipsorum munus neq; possit ab illis investigari, neq; conveniat ipsis revelari. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 7. post med. observat, Christum nequaquam dicere, non est meum, sed non est vestrum scire. Interrogatus (inquit) quando restitueret regnum Israel, non se nescire dixit, sed ait: *non est vestrum. Attende quid dixerit, non est vestrum, vestrum dixit, non meum &c. Mavult Dominus nimio in discipulos amore propensus, petentibus his quæ cognita in utilia iudicaret, videri ignorare quod noverat, quam negare, plusq; amat nostram utilitatem instruere, quam suam potentiam demonstrare.* Et Beda h. l. *Quando dicit, non est vestrum scire, ostendit quod & ipse sciat, cuius omnia sunt quæ Patris sunt, sed non expedit nosse mortalibus, ut semper incerti de adventu iudicis sic quotidie vivant, quasi die alterâ iudicandi sint.* Sed hac de re, quo scilicet sensu Christus Marc. 13. vers. 32. neget, *Filium hominis scire iudicii diem*, alibi ex professo agit. Porrò hæc *μακροθυμία* & lenitas Christi discipulorum infirmitatem & ruditatem tam patienter tolerantis præbet nobis tum *ἡσυχία* solatium, quod eodem sit erga nos animo & affectu, tum *ὑπόδημα* exemplum, quod & nos invicem debeamus *ἡσυχία* Rom. 15. v. 7. ac *ἡσυχία* Act. 13. v. 18. *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum & humilis corde* Matth. 11. v. 28. Ipsum Christi responsum: *Non est vestrum scire tempora & articulos temporum, quos Pater in sua ipsius constituit potestate*, tum in genere monet à speculationibus curiosis & quæstionibus inutilibus abstinendum esse 1. Timoth. 1. v. 4. c. 6. v. 4. 2. Tim. 2. v. 23. Tit. 3. v. 9. Prosper lib. 1. de voc. gent. cap. 7. *Quæ Deus occulta esse voluit, non sunt scrutanda, quæ autem manifesta fecit non sunt negligenda, ne in illis illicitè curiosi, in his damnabiliter inveniamur ingrati*: tum in specie docet, extremi iudicii tempus & diem nobis esse incognitum. Tractat hac de re August. Epist. 78. ad Hefychium, ubi monet, Christum non solum dixisse Matth. 24. vers. 36.

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quinta.

de die illa & hora nemo scit, sed ne quis pararet, tempora se computare posse; diem verò tantummodo ipsum & horam neminem scire; ideo Christum hoc loco in genere dixisse. *Nemo potest cognoscere tempora, quæ pater posuit in sua potestate*: *Non dixit diem vel horam, sed tempora, quæ in brevi spacio non solent dici, sicut dies vel hora, maximè si Græcum intueamur eloquium, ex qua lingua in nostrum eundem librum, ubi hoc scriptum est, scimus translatum.* Cum verò Hefychius Epist. 79. obverteret, hunc esse verborum Christi sensum: *Apostolos non consummationis, sed nominis & resurrectionis suæ testes esse debere, cum alibi de cognoscendis temporibus adventus sui Christus ipse præcipiat, latè respondet August. Epist. 80. & ostendit, explicationem hanc insufficientem esse, nec posse tempus adventus Christi definiri: tandem sub finem Epistolæ addit: Remoto illo sermo malo, qui dicit in corde suo, moram facit Dominus venire, dominatur servis suis & ebriosis convivando miscetur &c. constituamus ante oculos tres servos bonos familiam Domini diligenter sobrieque tractantes, adventum Domini sui scienter desiderantes, vigilanter expectantes, fideliter amantes, si unus eorum citius, alter tardius Dominum putat esse venturum, tertius vero suam hæc de re ignorantiam fatetur, quanquam omnes consonent Evangelio, quia omnes diligunt manifestationem Domini, & eam desideranter & vigilanter expectant, videamus tamen quis amplius consonet. Unus dicit, vigilemus & oremus, quia citius venturus est Dominus. Alter dicit, vigilemus & oremus, quia brevis & incerta est vita, quamvis tardius venturus sit Dominus. Tertius dicit, vigilemus & oremus, quia & brevis & incerta est ista vita, & nescimus tempus, quando venturus est Dominus. Obsecro te quid aliud dicere audimus hunc tertium, quam quod dicere audimus Evangelium: Vigilate & orate, nescitis enim quando tempus sit. Et lib. 18. de civit. Dei cap. 53. in princ. dicit. Omnium hæc de re calculantium digitos resolvit, & quiescere jubet, ille qui dicit: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.*

Postquam igitur Christus curiositatem discipulorum represserat, aliud quod scire non solum licitum sed expediens fuerat, subjungit: *Accipietis virtutem, postquam Spir. S. advenerit super vos, & eritis mihi testes &c.* duo ipsis promittit, scil. *adventum Spiritus sancti*, per quem virtute sint induendi, & *restificationem in toto orbe.* Utrumque jam antè audierant, sed Christus *βεβαιώσε* ergo utrumque repetit: utrumque scire expediebat, ut Hierosolymis unanimiter perdurarent & opinionem regni terreni exuerent. Hoc enim Christus vult dicere: Non est, quod vanâ spe lætati statuatis vos Dominos ac Dynastas fore in mundano quodam regno, sed præcones & testes eritis in regno meo spirituali, Martyres eritis non solum verbi prædicatione, sed & sanguinis effusione. Nec Hierosolymis solum, ex quo loco tanquam metropoli Judææ, imò umbilico totius *οικουμένης* egredietur verbum Domini Es. 2. v. 3. Mich. 4. v. 2. sed & in tota Judæa; nec in Judæa tantum, quæ tribum Judæ & Benjamin complectebatur, sed & Samaria Judææ conterminâ populo Judaico maximè invisa Johan. 4. vers. 9. quæ reliquas tribus complectebatur; nec in Samaria solum, sed usque ad fines terræ prædicabitur Evangelium, quæ verba desumpta sunt ex Esa. 49. vers. 6.

Zz 4

Parum

Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob & desolationes Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terre, & usq; ad ultimum, quod vaticinium Apostoli repetunt Act. 13. v. 47. cum à Judæis ad gentes sese converterent. Ad arduum hoc munus dabitur vobis *δυναμις* robur ac virtus Spiritus sancti *ἐπιλήθοντες*, quod prius dixerat, induemini virtute ex alto. *ἐπερχομαι* Luc. 1. v. 36. usurpatur de miraculosa illa operatione Spiritus sancti, quâ Filius Dei in utero Mariæ virginis conceptus est, hoc loco accipitur de miraculosis Spiritus sancti donis die Pentecostes super Apostolos effusis. Jud. 14. v. 6. de Simone dicitur, *Et venit super eum Spiritus Domini, ut divideret leonem sicut hædum.* Hebr. *הֵצִיחַ* prosperè egit. Græcum *κατέβη* proprie significat direxit, moderatus est. Hoc igitur responso Christus satis manifestè docet, regnum suum non esse mundanum ac terrenum, sed celeste, non corporale sed spirituale, primò ab ipso armorum genere, quo propagandum illud sit, videlicet non armis externis & corporalibus, sed virtute Spiritus sancti 2. Cor. 10. v. 4. *arma militiæ nostræ non sunt carnalia*; secundo à propagationis modo: *Eratis mihi testes*, h. e. per prædicationem Evangelii propa-

gabitur meum regnum; tertio à terminis hujus regni, non continebitur intra angustos Judææ limites, sed juxta prophetarum vaticinia pertinet à mari usq; ad mare, imò extremos fines terræ. Ostendit etiam Christus in N. T. sublatum iri *μεσοτοιχον* inter Judæos ac gentes Eph. 2. v. 14. & implenda esse vaticinia Prophetarum de vocatione gentium. Officium etiam Apostolor. *testificandi* vocabulo pulchrè exprimitur, sicut & Joh. 15. v. 27. Act. 5. v. 32. c. 10. v. 39. 41. 42. In teste hoc requiritur, ut prius vocetur & requiratur, ut de illis testetur, quorum fuit *ἀντιτύπη*, ut vera proferat, neque quicquam fiteatur, ut juratus fidem testimonii confirmet &c. hæc omnia in Apostolis præelectis testibus inveniuntur, sunt enim ad hoc officium solenniter vocati, annunciarunt ea, quæ ipsi metus oculis suis conspexerunt, & manibus suis contrètaverunt, 1. Joh. 1. v. 1. locuti sunt per Spiritum sanctum, qui est Spiritus veritatis, *manifestarunt omne Dei consilium de salute hominum* Act. 20. v. 27. ac divinis miraculis quin & suo sanguine testimonii fidem obfirmarunt.

Me quoq; mi Jesu, baptizes. Flamme sacro, Expecto in Solyimis hocce charisma sacris.

CAPUT CCXVIII. & ULTIMUM.

CHRISTUS GLORIOSE IN COELUM ASCENDIT.

MARC. 16. v. 19. LUC. 24. v. 50. JOAN. 21. v. 25. ACT. 1. v. 9.

RATIO ORDINIS.

Mandatis illis, quæ Christus in ultima ante suam ascensionem manifestatione Apostolis dedit, immediatè subjungitur ipsius ascensionis Historia, quæ toti Evangelicæ Historiæ ac proinde etiam Harmoniæ Evangelistarum finem imponit, cum contineat *felix clausulam totius itinerarii Chri-*

sti, ut pulchrè loquitur Bernhardus serm. 2. de ascens. ac Petrus Apostolus hunc terminum Historiæ de Christi in his terris politia constituit Act. 1. v. 22. *Dominus Jesus inter nos exiit & intravit incipiens à Baptismate Johannis usq; in diem quâ assumtus est à nobis.*

HISTORIA DE GLORIOSA CHRISTI IN COELOS ASCENSIONE.

MARC. 16.

19. Ο κϋριϋς ανηλθην εις τον ουρανον και εκαθισεν εν δεξιαν θεου.
20. Εκεινοι η εζηλοντες εκηρυξαν παντα τα εϋαγγελια σωτηριας και τ λογον βεβαιησεν δις τ επακολουθωντων σημειων.

19. Itaq; Dominus quidem postquam locutus fuisset eis, receptus est in caelum & confedit à dexteris Dei.
20. Illiverò egressi prædicaverunt ubiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante per signa subsequencia.

LUC. 24.

50. Εξηγαγε δε αυσδν εξαεις εις βηθανιαν, κ επιρας της χειρας αυτου ευλογησεν αυσδν.
51. και εζημεν εν τω ευλογειν αυτον αυσδν διεση απ αυτων και ανεφερεν εις τον ουρανον.
52. και αυτον προσκυνησαντες αυτον υποεσπρησαν εις ιερουσαλημ μετα χαρας μεγαλης.
53. και ησαν δις παντως εν τω ιεροσ αιωντες κ ευλογουντες τον θεον. Αμην.

50. Eduxit autem eos foras usq; in Bethaniam, & sublati in altum manibus suis benedixit eis.
51. Et factum est, cum benediceret illis, recessit ab eis ac ferebatur in caelum.
52. Et ipsi adorato eo regressi sunt Hierosolymam cum gaudio magno.
53. Et erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. Amen.

JOH.